



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Christ. Francisci Paullini, Ferrariâ-Thuringi, Rerum Et
Antiquitatum Germanicarum Syntagma**

Paullini, Christian Franz

Francofvrti ad Moenvm, 1698

XIV. Hatto II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44860

Aliud incendium eandem perdidit basilicam. Confunduntur hæc duo incendia à multis. Ego puto Ad. DCCCCXXVII. basilicam conflagrâsse, quam *Hademarus* pulchrè restituit, & Ad. DCCCCXXVI. aliud incendium ortum est. Nullum verò sine notabili damao fuerit. *Fridericum*, Archi-Episcopum Maguntinum, captum aliquamdiu detinuit, & paulò durius habuit eum. (n) Moritur Ad. DCCCLVI. Prælatuæ XXIX.

XIV. HATTO II.

XIV. Hat-
to II.

Hademari ex sorore nepos, magnæ auctoritatis Abbas apud Papam & Imperatorem, Professus Fuldensis: adfuit coronationi Regiæ *Ottoni* primi Romæ, à quo postea & *Joanne* XII. Papa magna accepit privilegia. Anno Prælatuæ XII. ab *Ottone* II. Rege fit Archi-Episcopus Maguntinus. *Fulda* laudabiliter præfuit, erga omnes justus, placidus, & acer, prout res & tempora postulabant. Quòd verò à *muribus* voratus sit, quia frumenta denegaverat pauperibus, impudens mendacium est. Certè *plumbæam* cor & *ferream* frontem habuerit ille, hanc fabulam qui credit, vel sine rubore narrat. Omnes enim circumstantiæ, & omnes *Hattonis* actiones repugnant. (o) Moritur Maguntia placidè primo electionis suæ anno, erat Ad. DCCCLXIX.

XV. WERNERUS.

XV. Wern-
erus.

Professus Fuldensis, *S. Uthalrici*, Episcopi Augustensis, cognatus, prudens, & valde circumspectus, magnis ornamentis providit Ecclesiæ suæ, supposuitque porticus. Construxit capellam, seu potius Convantum in *Borsla*, & liberaliter dotavit. Moritur in bello contra Saracenos, quod *Otto* II. Imperator gessit in Calabria. Ad. DCCCLXXXI. Prælatuæ XIV.

XVI. ERCKENBALDUS.

XVI. Er-
ckenbaldus.

Natione Saxo, *S. Bervardi*, Episcopi Hildesemensis, cognatus, fortè ex familia *Sommerscheburgica* Ad. MIII. ex mandato *Henrici* S. unà cum *Henrico*, Episcopo in *Wirzeburg*, capellum in *Svvinfurti* incendere & devastare debebat. (p) Ad. MXI. fit Archi-Episcopus Maguntinus, *Willigisi* successor, anno Prælatuæ XXVI. Mansit tamen simul Tutor & Provisor Ecclesiæ Fuldensis, cui optimè præfuit. Moritur Ad. MXXI.

XVII. BRANTHO.

XVII.
Brantho.

Anno Prælatuæ septimo depositus est, & factus postea Episcopus Halberstadiensis. (q) Ad. MXXI. ubi construxit Monasterium *S. Johannis*. Ad. MXXVI. in dira fame abiit in Græciam & Palæstinam, sed multa

(n) vid. Wittich. Corb. L. II. Annal. c. f. (o) vid. Nic. Serar. L. IV. rer. Mogust. c. 4. & P. I. Zeiff. Zuff them. 129. (p) vid. chron. Ditmar. L. V. p. 110. & Spangenberg. Chr. Henseberg. L. I. c. 33. p. 71. (q) Vid. Sagittar. hist. Halberstad. s. 26.